



# Einladungsschrift

zum

## Actus im Gymnasium zu Mitau

den 21. December 1846.

# Sulpiciae Ecloga.


Recensuit explicavit

**Christianus Ludovicus Schlaeger,**

Ph. D. A. L. M. Graec. et Latin. litt. praeceptor prim., Bibliothecarius

Gymnasii, Colleg. scholarch. Mitav. et aliquot societatum

doctarum socius.



**Mitaviae, 1846.**

Typis Steffenhagenianis.

# Sulpiciae Eclogae.

Imprimatur


haec commentatio ea lege, ut quum primum ex officina emissa fuerit, legitimum exemplorum numerus collegio libris inspiciendis praeposito exhibeatur.

Dorpati d. XIX. m. Novembr. a. MDCCCXLVI.

(L. S.)

Frid. Neue, Censor.

Est. A



17002

**Seine Excellenz der Herr Kurländische Civil-Gouverneur, alle hohe Beamten und Authoritäten, die Geistlichkeit aller Confessionen, alle Eltern, Verwandte und Vormünder der Schüler des Gymnasiums, so wie alle Diejenigen, die im Interesse der Wissenschaften das Mitausche Gymnasium mit Ihrem Besuche beehren wollen, werden hiemit ganz ergebenst eingeladen, am 14ten December 1846, als am Sonnabend, den öffentlichen Prüfungen; und am 21sten December 1846, als am Sonnabend, dem Actus in genannter Lehranstalt beizuwohnen.**

---

Die öffentlichen Prüfungen werden in allen Classenzimmern in verschiedenen Lehrgegenständen zu gleicher Zeit abgehalten werden, und zwar:

am Sonnabend den 14ten December von 9 bis 12 Uhr Morgens und von 3 bis 5 Uhr Abends.

Der Actus wird im großen Hörsaale des Gymnasiums vor sich gehen und daselbst Sonnabend als am 21sten December um 11 Uhr Morgens beginnen, mit dem Chorale:

Herr Dir ist Niemand zu vergleichen  
Kein Lob kann Deine Größe erreichen  
Kein noch so heuriger Verstand!  
Pracht, Majestät und Ruhm umgeben  
Dich, aller Wesen Quell und Leben;  
Licht ist Dein strahlenvolles Gewand. —  
In hohen, unermessnen Fernen,  
Wohin kein sterblich Auge schaut,  
Hast Du, weit über allen Sternen,  
Dir Deinen höchsten Sitz gebaut. —

Darauf wird Herr Oberlehrer der Religion Hofrath *Kurtz*, ein Gebet halten, und dann wird gesungen:

Gott ist nicht ferne von einem Jeglichen unter uns,  
Denn in Ihm leben und weben und sind wir.

Herr unser Herrscher, nur von Dir  
Fliefs alles Heil uns zu,  
Dein Volk, Dein Eigenthum sind wir,  
Und unser Gott bist Du!

Nach diesem wird der Herr wissenschaftliche Lehrer *Cruse* eine Rede in deutscher Sprache über folgendes Thema halten:  
»Ueber den Elementar-Unterricht mit besonderer Beziehung auf den Elementar-Unterricht in gröfseren öffentlichen Schulen.«

Darauf werden folgende Schüler der ersten Classe reden:

*Eduard Baumbach* in lateinischer Sprache: Unde morum corruptela et immodica luxuria Romanorum orta sit?

*Konstantin Skirmunt* in französischer Sprache: Reflexions sur la dure nécessité, qui nous oblige à nous séparer des personnes, qui nous sont chères.

*Ferdinand Friederici* in russischer Sprache: Какія событія угрожали цѣлости, даже существованію Русскаго Государства.

*Karl Albrecht Grüner* in deutscher Sprache: Ueber die Gefühle des Jünglings beim Abgange zur Universität.

Sodann wird der Herr Gouvernements-Schuldirector einen Bericht über die Thätigkeit und Ereignisse im Mitauschen Gymnasium des vergangenen Jahres vortragen und den abgehenden Schülern die Entlassungs-Zeugnisse verabreichen und einige Abschiedsworte an dieselben richten.

Als reif werden diesmal acht Schüler entlassen, und zwar:

Für welches Studium.

- 1) *Eduard Baumbach* aus Kurland, 25 Jahr alt, Theologie.
- 2) *Heinrich Leopold Ferdinand Friederici* aus Libau, 20 Jahr alt, . . . . . —
- 3) *Karl Albrecht Grüner* aus Mitau, 19 Jahr alt, —
- 4) *Karl Ludwig Amadeus Maczewsky*, aus Mitau, 18 Jahr alt, . . . . . Jurisprudenz.
- 5) *Konstantin Kasimir Skirmunt* aus dem Minskischen Gouvernement, 18 Jahr alt, Landwirthschaft.
- 6) *Alexander Wladislaus Skirmunt* aus dem Minskischen Gouvernement, 17 Jahr alt, Technologie.
- 7) *Eduard Ernst Steinhold* aus Mitau, 18 Jahr alt, . . . . . Medicin.
- 8) *Gustav Heinrich Vorkampf-Laue* aus Mitau, 18 Jahr alt, . . . . . Jurisprudenz.

Nach der Verabreichung der Entlassungs-Zeugnisse wird gesungen:

Jehovah! Deinem Namen  
 Sey Ehre, Macht und Ruhm! Amen!  
 Bis einst der Tempel dieser Welt  
 Auf Dein Wort in Staub zerfällt,  
 Soll in unseren Hallen  
 Das Heilig erschallen  
 Halleluja!

Also vollend' es der Herr  
 Ihm sey Preis und Dank und Ehre  
 Von Ewigkeit zu Ewigkeit  
 Amen!

Der Actus wird geschlossen mit der National-Hymne:

Боже! Царя храни  
 Сильный Державный!  
 Царствуй на славу намъ  
 Царствуй на страхъ врагамъ  
 Царь Православный!  
 Боже! Царя храни!

Kurländischer Gouvernements-Schuldirector

**Hofrath und Ritter *Belago*.**

## Praelegenda de Sulpiciae Ecloga.

**Q**uo rectius carmen Sulpiciae intelligatur, primum quaerendum est de edicto illo Domitiani, quo philosophos Roma eiecerit, deinde quomodo hoc carmen, sive Satira sive Ecloga dicatur, cum illo edicto cohaereat vel jungendum sit.

Inter ceteras res, quae maxime propriae sint carminum sub Caesaribus Romanis scriptorum, illa quoque referenda est, quod saepe, ne dicam plerumque, publicis rebus sive, ut ajunt, politicis factis se adjunxerunt et applicaverunt. Cujus rei vestigia in Eclogis Virgilianis jam conspiciuntur, in quibus multa inesse intelligimus, quae ad statum rerum ejus temporis, quo scriptae sint, pertineant. Multo uberiores materiam aetate posteriores poetae habere sibi videbantur, ubi magna copia novarum institutionum et decretorum eos quodammodo provocavit, ut carminibus suis aut celebrarent, aut reprehenderent, aut conquererentur; ubi exsilia, damnationes, caedes, aliae generis humani miseriae poetarum animos ad lugendum et aegritudinem declarandam impellebant. Ita factum est, ut paullatim multi libelli divulgarentur, qui convicia et probra in Caesares jactabant, quique hos ipsos ad ulciscendum instigabant. Scripta famosa, carmina probrosa, sive, ut Horatii verbis utar, jambi criminosi, quo deterior publicarum rerum conditio erat, eo magis exspatiari coeperant. Vetus ille mos simplex, quo militibus licebat convicia in duces triumphantes

ingenere, eaque coram et impune, posteriore tempore, ubi nemo loqui, nemo hiscere audebat, iracundiae et malignitati clandestinarum scriptionum cesserat, quae quanto crudelius in earum auctores inquirebatur et saeviebatur, tanto magis numero gliscebant, in vulgus serpebant avidaeque legebantur. Principes ipsi fere semper primi hujusmodi libellos per speculatores et delatores suos aucupabantur atque furore flagrantem facere poterant, ut etiam egregia clarissimorum ingeniorum, quae semel suspecta erant, monumenta in comitio ac foro urere juberent. Acerbe Tacit. Agr. 2. scribit: non in ipsos modo auctores, sed in libros quoque eorum saevitum, delegato triumviris ministerio; acerbius addit: scilicet illo igne vocem populi Romani et libertatem senatus et conscientiam generis humani aboleri arbitrabantur.

Libellorum rodentium, qui dispergebantur, nunquam major copia fuisse videtur, quam temporibus Domitiani. Sueton. Domit. VIII.: scripta famosa vulgoque edita, quibus primores viri et feminae notabantur, abolevit non sine auctorum ignominia. Itaque hunc suspiciosum principem, occasionem nactum, in poetas et alios scriptores crudeliter consuluisse non est mirandum, velut in Aelium Lamiam, qui suspiciosos versus et jocos fecerat. Petulantia vel figuras et imagunculas invenerat ad irridendos et laedendos homines, adeo ad sugillandum principem. Sed saevissimam poenam dabant auctores et ii, quorum auxilio auctores in distribuendis hujusmodi rebus usi erant, velut Hermogenes Tarsensis, qui propter quasdam in historia figuras occisus est, librariis etiam, qui eas descriperant, cruci fixis; Metius Pomposianus, qui depictum orbem terrae in membrana habuerat. Sueton. Dom. X. — In primis quum constaret, Domitianum perpetuo mortis metu anxium esse, crebra poemata sparsa sunt, quae hunc timorem alebant augebantque, interdum etiam ridicule perstringebant, velut

illud, quod editum est, quum Caesar edictum de excidendis vineis proposuisset:

Κῆν με φάγης ἐπὶ ῥίζαν, ὁμῶς ἔτι καρποφορήσω  
 Ὅσον ἐπισπείσαι Καίσαρι θνομένῳ.

Sane aequè ingeniosum atque acerbum epigramma, quod ne factum in Domitianum quidem erat, sed mutatione quadam translatum. Vitis enim hircum tali modo adloquitur, ipsam abrodentem. Hujusmodi cavillatores ab ignavo et pavido principe, quod voluerant, interdum assequebantur, velut propter illud ipsum epigramma Domitianus edictum de vinetis succidendis exsequi non perseverasse creditus est. Sueton. Domit. VII., XIV. Aliud exemplum proferam. Cornix in Capitolio elocuta dicebatur verba: ἔσται πάντα καλῶς, continuo epigrammation in ora hominum abiit:

Nuper Tarpejo quae sedit culmine cornix,

*Est bene non potuit dicere; dixit erit.*

praeclarum vaticinium de principibus abstinentia et moderatione insignibus, qui post Domitianum moestum orbem terrarum per aliquod saltem tempus ad requiem et salutem revocabant.

Quum poematia ejus generis animum saevissimi principis jam satis superque irritassent, subito omnis furor in rem memorabiliorem eamque gravioris momenti, quam ante illud tempus ulla fuerat, se convertit atque erupit. Nam nullam aliam fuisse causam, cur philosophos omnes urbe Italiaque expulisset, quam itidem librum, Sueton. Domit. X. diserte tradit. Junius enim Rusticus Paeti Thraseae et Helvidii Prisci laudes libro ediderat eosque sanctissimos viros appellaverat; cujus criminis occasione Caesar decretum illud de philosophis edidit. Itaque apparet, jam pridem consilium ejusmodi in animo ejus inhaesisse atque levissima tantum incitatione opus fuisse, ut tempestas in capita illorum hominum ingrueret. Xiphil. ex Cassii Dionis Hist. Rom. LXVII., XII. 13. paulo aliter rem tradit:

τὸν γὰρ δὴ Ῥούστικον τὸν Ἀρουλίον ἀπέκτεινεν, ὅτι  
 φιλοσόφει καὶ ὅτι τὸν Θρασεῖαν ἱερὸν ὠνόμαζε, καὶ Ἐρέν-  
 νιον Σερεκίωνα, — — ὅτι τοῦ Πρίσκου τοῦ Ἐλουϊδίου τὸν  
 βίον συνέγραψεν. ἄλλοι τε ἐκ τῆς αὐτῆς ταύτης τῆς κατὰ  
 τὴν φιλοσοφίαν αἰτίας συχνοὶ διώλοντο· καὶ οἱ λοιποὶ  
 πάντες ἐξελάθησαν αὐθαίως ἐκ τῆς Ῥώμης. Maternum sophi-  
 stam necavit, ὅτι κατὰ τυράννων εἶπέ τι ἀσκῶν. l. l. 12.  
 Gellius N. Att. XV., 11. postquam de vetere illo senatuscon-  
 sulto C. Fannio Strabone, M. Valerio Messala Coss. de exigen-  
 dis urbe Roma philosophis uberius exposuit, haec addit: Ne-  
 que illis solis temporibus nimis rudibus necdum Graeca doc-  
 trina expolitis philosophi ex urbe Roma pulsati sunt, verum etiam  
 Domitiano imperante senatusconsultis eiectionis atque urbe et Italia  
 interdicti sunt. Qua tempestate Epictetus quoque philosophus  
 propter id senatusconsultum Roma decessit. Accedunt testi-  
 monia Hieronymi apud Eusebium Pamphili, qui bis expulsos  
 esse philosophos a Domitiano, primum octavo imperii anno,  
 iterum quinto decimo, i. e. ante paucos annos quam moreretur  
 Domitianus, scribit, Euseb. Chron. ed. Scal. p. 164. Eusebius  
 vero ipse in Graecis ad octavum Domitiani imperii annum haec  
 habet: Ἀυρέλιος τὸ β καὶ Σεμπρόνιος. Δομετιανὸς τοὺς  
 μαθηματικοὺς δεύτερον ἀπῆλασε καὶ φιλοσόφους τῆς Ῥώ-  
 μης. Georgius Syncell. Chronogr. ed. Bonn. I., 650. plane  
 eadem verba habet. Ceterum observes in utroque loco φιλο-  
 σόφους sine articulo tanquam adhaerescere et vim rei indican-  
 dae in verbo τοὺς μαθηματικοὺς poni. Georg. Syncell. non  
 adscripsit quidem annum imperii, quo expulsos sint, sed ex  
 ordine rerum, quae post indicatae sunt, patet, ad octavum  
 nonumve annum regni Domitiani pertinere. Chronicon Pa-  
 schale ed. Bonn. I., 466. fere eadem omnia tradit de Domitiano,  
 atque Eusebius et Syncell., sed de philosophis rem plane  
 omittit. Ubi vero de rebus Domitiani tradere desiit Chron.

Pasch. p. 468, vestigium quoddam de philosophis invenisse mihi videor. Auctor Chronici singularem eamque monstruosam habet narrationem de exitu Domitiani, quam, quum vix cognita sit quumque vel Cangius, insignis hujus operis interpres, vol. II., 323, nesciat, unde Scriptor Chronici hauserit, quae de Domitiani ἀφανεία tradit, hoc loco referre necessarium videbatur: *Τούτω τῷ ἔτει . (Ἰνδ . ἡ . ἰς . Ὑπατ . Ουάλεντος καὶ Βετιέρου) ὁ βασιλεὺς Δομετιανὸς ἐφόνευσε τὸν περιβόητον Ἀσκήπιον, ὃς προεῖπεν αὐτῷ ὅτι σφαζόμενος τελευτᾷ . καὶ κατασκευασθεὶς ἀπὸ τῆς συγκλήτου ὁ αὐτὸς βασιλεὺς Δομετιανὸς, ὡς εἰσῆλθεν ἐν τῷ ἱερῷ τοῦ Διὸς θυσιάσαι, ἀφανῆς γενόμενος τελευτᾷ, ὧν ἐτιῶν μέ, γησάντων πάντων ὅτι ἐπήρθη ἀπὸ τῆς γῆς εἰς τὸν ἀέρα, ὡς φιλόσοφος . Ὁ δὲ ἀνηρέθη — σφαγεῖς ἀπὸ τῆς συγκλήτου, ὡς ὑπερήφανος καὶ τυραννῶν αὐτούς . οὔτινες ἐποίησαν ἦν ἐφόρει γλαμύδα πορφυρᾶν κρημασθῆναι εἰς μίαν ἄλυσιν τῶν οὐσῶν ἐν τῷ ἱερῷ κανδήλων καὶ πάντες εἰσιόντες ἠπατῶντο κ. τ. λ.* Suspicor in verbis ἀφανῆς γενόμενος τελευτᾷ, ὡς φιλόσοφος inesse ludibrium quoddam: Domitianum tam repente ex terra sublatum evanuisse, quam philosophos, qui nutu ejus ex urbe evanuisent. Cogitat quidem Cangius l. l. vol. II. pag. 323 de comparatione quadam cum Empedocle philosopho facta, sed, ut mihi quidem videtur, non apte.

His testimoniis veterum allatis, duae res in primis in disputationem cadunt, una, bisne Domitianus philosophos expulerit, altera, quibusnam ex causis hoc factum sit, et, factumne sit senatusconsulto? Fides Eusebii et Syncelli de expulsionem bis facta admodum infringitur eo, quod de priore nihil tradiderunt, uterque de altera, *δεύτερον*, dicit. Praeterea illis ipsis locis hi scriptores in vexationibus et persecutionibus Christianorum numerandis tantopere occupati sunt, ut in minoris mo-

menti numero facile errorem admittere potuerint. Hieronymus manifesti erroris arguitur, quod primam expulsionem octavo regni Domitiani anno adsignat, Eusebius vero, auctor Hieronymi, *alteram* eidem anno adscribit; item Syncellus alteram octavo nonove anno factam esse tradit. Suetonius, Tacitus, Cassius Dio, Plinius ne verbum quidem habent de exactione bis facta; Aurelius Victor in utraque vita hujus Caesaris nihil de hac re tradit. Verisimile non est, hos auctores tantam rem, si bis facta fuisset, silentio praeterituros aut de ea tanquam de una obiter et lente memoraturos fuisse. Ex recentioribus Walchius Tacit. Agr. p. 118 de exactione bis facta cogitat, neque tamen rem comprobavit; idem minus accurate adscripsit Eusebii testimonium, ubi Hieronymi dicere debebat; praeterea verbis Xiphil. l. l. argumento utitur: ἐξήλαθησαν αὖθις. sed haec verba non solum cum Reimaro ad Cass. Dion. p. 1111 de philosophis nonnullis a Vespasiano expulsis, Xiphil. LXVI., 13 intelligenda sunt, verum etiam quid impedit, quominus de antiquissima illa ejectione cogitemus; imo etiam a Nerone non unus philosophus ejectus videtur, ut Suet. Neron. 39: histrionem et philosophum, (a quo convicio laesus erat) nihil amplius, quam Urbe Italiaque summovit. — Ex his rebus colligimus, a Domitiano *semel* de abigendis philosophis edictum esse, idque fere anno a. U. c. 846; Domitiano Aug. XVI., Q. Volusio Saturnino Coss., neque profecto res ejusmodi erat, quae ab eodem Principe Romano iterum repetere-tur; neque operae pretium fuisset. Senatusconsultum de hac re factum esse, auctorum praeter Gellium nemo tradit, sed edictum appellant plerique; Censores aut Praetores illud edictum executos esse, ex Gellii loco intelligi potest. Sed haec res nonnihil differt ex eaque colligendum est, Domitianum toti ejectioni non tantum tribuisse, quantum plerumque credebatur. Nam senatusconsulta ejusmodi vere facta esse Tiberio, Claudio,

Vitellio Impp., Tacitus auctor est, *Annal.* II., 32. XII., 52. *Hist.* II., 62.; Claudii addit fuisse atrox et irritum. — Singularis est sententia Crevierii in *Histor. Impp. Rom.* VII., 3 et 6.: Domitianum a. U. c. 840, T. Aurelio Fulvio iterum, A. Sempronio Atratino Coss. astrologos et mathematicos Roma eiecisse, a. U. c. 845. L. Nonio Asprenate, M. Laterano Coss., philosophos.

Philosophi illo tempore non erant eo honesto et venerabili nomine, quo antiquo aevo praeditos et ornatos videmus. Nomen philosophorum promiscue de quovis genere hominum usurpabatur, qui literas et artes ad quaestum abducebant, quique non tam literis, quam praestigiis quibusdam literarum operam dabant, velut mathematici, astrologi, genethliaci. *Tacit. Hist.* I., 22, eos vocat »genus hominum potentibus infidum, sperantibus fallax, quod in civitate nostra et vetabitur semper et retinebitur, multos secreta Poppaeae mathematicos, pessimum principalis matrimonii instrumentum, habuerunt.« — Auctoritate et fide nimirum decursu temporis in vulgus magis magisque minuebantur, ita ut denique fere nullo honore, sed potius ludibrio apud omnes essent. Jam Horatius centum fere annis ante illud tempus, de quo hoc loco dicitur, Stoicos suae aetatis ita deridere audebat: »vellunt tibi barbam lascivi pueri — nisi fuste coerces,« et: »quadrante lavatum rex ibis,« *rell. Satir.* I., 3, 133. — Philosophi erant maximam partem grex hominum ab omnibus regionibus imperii Romani Romam advectus, secum domo nihil afferens, nisi paupertatem et vanitatem, neque tamen sperneus, ubi occasio erat, lucrum facere et honorem appetere. Seditiosa consilia, si non ipsi inierunt, tamen ex latebris afflabant et aliorum manus velut mobili nervo ad flagitia ducebant. In Caesarem domibus multas fallacias et clandestinas artes olim nexuisse videntur et cruenta multarum insania fortasse eos habet occultos auctores. Dico enim de mathema-

ticis et Chaldaeis et astrologis, quorum uni alterive quovis fere tempore aditus ad Caesarem patebat. Saepe etiam foedum et miserabilem exitum habuerunt, velut astrologi Tiberii, qui, si vanitatis ac fraudum suspicio incesserat, ab hoc principe in mare praecipitati sunt. Tacit. Ann. VI., 21. L. Pituanus saxo dejectus est; in P. Marcium consules, extra portam Esquilinam, quum classicum canere jussissent, more prisco advertere. Tacit. Ann. II., 32. — Philosophorum, quales fuerint illo aevo, tanquam exemplum est Apollonius ille Tyanacus.

Pauci illi, qui honestum et verum nomen philosophorum gerebant, in tanta depravatione et foeditate ceterorum aequae et simul vexati et afflicti sunt; itaque de his paucis summa contumelia notatis causa sumpta est querimoniae et misericordiae, qua nonnulli scriptores Latini expulsos a Domitiano philosophos commiserantur et deplorant. Nobis quidem persuasum est, illo edicto petitos fuisse falsos philosophos et praestigiatos, sed in re exsequenda honestos et veros philosophos, uti fere fit, simul prehensos esse. De his igitur memoriae proditum est, quum scriptores et omnino homines eruditi a partibus eorum starent; sin autem illi soli essent ejecti, vix mentio hujus rei facta esset. Honestae philosophorum nomina tali modo ejectorum fere haec sunt: Epictetus, Gell. N. Att. XV., 11. Artemidorus, Plin. Epist. III., 11. Dio Chrysostomus, Orat. 40 et Philostrat. de Vit. Soph. I., 7., Musonius, Demetrius, Peregrinus, Lucian. Vit. Peregr. — Quam longinquas in terras sparsi sint, apud Philostrat. Vit. Apoll. VII., 4. scriptum est: *Φιλοσοφία δὲ οὕτω τι ἐπιτηξεν, ὡς ἀποβαλόντες τὸ σχῆμα οἱ μὲν ἀποδοῦναι σφῶν ἐς τὴν Κελτικῶν ἑσπέραν, οἱ δὲ ἐς τὰ ἔρημα Αἰθῶς τε καὶ Σκυθίας*; quam rem sophista nimis auxisse videtur. Sed nonnulli homines abjectissimi tantum aberat ut discederent, ut ex philosophis assentato-

res et delatores fierent foedissimi, velut Euphrates et Juvencius Celsus.

Jam transeamus ad alteram quaestionem, quae est de causa et conjunctione carminis Sulpiciae cum edicto Domitiani statuenda. Sulpicia femina nobilissima, matrona honestissima, habebat maritum Calenum, quem casto et pio amore complectebatur. Alia est enim illa Sulpicia, cujus elegidia in quarto libro Tibulli insunt, neptis Servii Sulpicii Rufi, qui aequalis Ciceronis fuerat, a. 703 consul et circa annum 710 mortuus. cf. Ellendtii Prolegom. ad Cic. Brut. p. CIII. seqq. Tibull. ed. Dissen. I., xxv. — Sulpicia, de qua hoc loco agitur, temporibus Vespasiani, Titi, Domitiani vixit. Multa carmina lyrica fecit, in primis amores; ab argumento epico et tragico Sulpicia, cujus ingenium mite et placidum esset, plane destitit. Martialis ipsam ejusque carmina, quae lusus, delicias facetiasque vocat, summis laudibus extollit et Calenum ob hanc conjugem tam felicem praedicat, ut in eo carmine, in quo quindecim jugales annos ei gratulatur, ita ludat, ut Calenum dumtaxat tot annos vixisse dicat, quot in matrimonio Sulpiciae fuerit, eumque ex his diebus unum Pylia quater senecta commutare nolle. Mart. Epigr. X., 35 et 38. Ex his duobus epigrammatis apparet, Martialem in summa familiaritate et cum Caleno et cum uxore ejus vixisse; in altero carmine adeo ludificatio quaedam Caleni inest. Conjuges fortunatissime vixerunt, quum crudelitas Domitiani in dies aucta eos terrere coeperat. Nobilissimorum Romanorum calamitates, exsilia, caedes eos ex placido otio tanquam excitabant, idque uxorem, vividioris ingenii feminam, multo magis, quam maritum. Sed nulla res Sulpiciae animum magis perterruit et perculit, quam nobilissimarum feminarum exsilia et fugae, Tacit. Agr. 45.; velut Fanniae, uxoris Helvidii Prisci, Arriae, ejusdem matris, Flaviae Domitillae, uxoris Flavii Clementis, patruelis Domitiani, Gratillae,

Pontiae Domitillae, aliarum; Plin. Epist. III., 11. VII., 19. — et supplicia crudelissima de Vestalibus virginibus quibusdam sumpta, inter quas Sulpicia familiares et propinquas feminas habuisse videtur. cf. Georg. Syncell. l. l.: *Τῆς Ἑστίας τρεῖς παρθένοι ἔρειαι κατεδικάσθησαν — — καὶ Κορνηλία ἡ πρώτη ἔρεια ζῶσα κατωρύγη.* Eadem fere verba apud Eusebium leguntur.

Itaque his rebus consideratis de causa atque consilio carminis Sulpiciani hanc cogitationem animo informavimus. Quum multae et nobiles feminae, in quibus etiam Virgines Vestales, a Domitiano partim interimerentur, partim in exsilium mitterentur aut omnino in summo periculo vitae et pudicitiae versarentur, quumque multas feminas ex constantia et magnitudine animi, qua exsilium aut jussum inissent aut voluntarium suscepissent, summa gloria et admiratio secuta esset, Sulpicia videtur sponte Romam relinquendi consilium cepisse. In quo consilio quum maritum, hominem paulo infirmiore et consilii tardum, ceteroquin honestum et bonum, ut socium habitura esset, metueret, hoc carmen, quod proxime ad elegiae naturam accedit, scripsit scriptumque obtulit. Quo autem magis maritus verbis uxoris moveretur, illud consilium auctoritate Musae captum esse fingitur. Credibile etiam est, Sulpiciam cum viro posthac ex urbe migrasse.

Itaque mea quidem opinione expulsio philosophorum et mathematicorum neque causa neque argumentum hujus carminis esse potest. Quomodo enim talis res poëtriae animum tantopere movere poterat, ut sensus suos in versus effunderet? Sane quidem, in commemoranda communi calamitate et miseria illam rem praeterire non potuit. Versu carminis 19. omnino de exsiliorum miseria queritur; paucis versibus c. 37 — 45. de philosophis meminit. Perperam igitur carmen inseribitur: De edicto Domitiani, quo philosophos urbe exe-

git; rectius: De corrupto statu reipublicae temporibus Domitiani. At equidem negaverim, ullam ab ipsa poetria inscriptionem praepositam esse. — Eclogam carmen nominavi, non satiram, propter sonum et rationem totius argumenti; paene elegiam dixi, nisi numeri obstarent; ipsa poetria carmen suum v. 69. *dolorem* appellavit. Scriptum carmen videtur circiter anno ante mortem Domitiani, a. U. c. 847. C. Fulvio Valente, C. Antistio Vetere Coss.

De pretio carminis pauca addam. A plerisque interpretibus magnopere laudatur, in primis a Vineto, Boxhornio, Dousa, Burmanno. — Casaubonus acrimoniam et satiricum morsum derogans orationem lacertis et ἀγωνιστικῆ̃ spiritu carere ait. J. C. Scaliger, ut se urbane et eleganter erga feminam gerat: non ausim, inquit, tam laudabili heroinae iudicii severitatem objicere. A. Cl. Baehrio carmen satis frigidum nuperrime appellatum est. — Nos sic existimamus. Carmen satis vividum, alacre, bene compositum; quamquam non negamus, partes quasdam infirmioris spiritus poetici esse, in primis introitum vv. 1 — 11 et vv. 55 — 58 languere. At etiam plurimis locis ars quaedam et vis poetica persentitur; materia diligenter disposita est, quamquam illa dispositio non statim in animadversionem incurrit. Vide, quam breviter et ingeniose clarissimarum rerum Romanarum mentio injecta sit, quam artificiose et decore lumina Romanae magnitudinis universae imagini intexta sint, velut Camillus, Scipio, Cato; quam verecunde parva primordia et tenuis origo populi Romani indicentur, quam calide et elate vaticinia antiquissima attingantur, quibus futura Romanorum magnitudo praedicta sit. Praeterea crebrae interrogationes, per totum carmen sparsae, acerbiteram quandam et desperationem animi produnt. Prima specie quidem credideris, poetriam divino furore instinctam Romanos provocare, ut tyrannidi resisterent; fere in hanc sententiam dicere audie-

ris: superiorem Romanorum gloriam nondum extinctam esse, heroas nondum interisse, audendum esse, fortes fortunam adjuvare. — Haec est illa dilogia, quam aliquoties in explicato carmine indicavi, neque tamen tantum ei tribuerim, ut impensius commendem.

Scribebam Mitaviae, mense Octobri a. MDCCCXLVI.

# **Sulpiciae Ecloga**

**emendata et explicata.**

## Sulpiciae Ecloga.

- M**usa, quibus numeris heroas et arma frequentas,  
Fabellam permitte mihi contexere tecum;  
Nam tibi secessi paucis penetrale retractans  
Consilium. Quare nec carmine curro Phalaeci  
Nec trimetro Jambo nec qui pede fractus eodem  
Fortiter irasci didicit duce Clazomenio;  
Cetera quin etiam, quae denique mollia lusi  
Primaque Romanos docui contendere Grajis  
Et salibus variare novis, constanter omitto,  
10 Teque, quibus princeps et facundissima calles,  
Adgredior; precibus descende clientis et audi!  
Dic mihi, Calliope, quidnam pater ille deorum  
Cogitat? an terras et patria secula mutat,  
Quasque dedit quondam morientibus eripit artes?  
Nosque jubet tacitos et jam rationis egenos  
Non aliter, primo quam quum surreximus aevo,  
Glandibus et purae rursus procumbere lymphae?  
An reliquas terras conservat amicus et urbes,  
Sed genus Ausonium Romulique exturbat alumnos?  
20 Quid? reputemus enim! Duo sunt, quibus extulit ingens  
Roma caput, virtus belli et sapientia pacis.  
Sed virtus agitata domi et socialibus armis  
In freta Sicaniae et Carthaginis exiit arces  
Ceteraque imperia et totum simul abstulit orbem.  
Deinde, velut stadio victor qui solus Achaeo  
Languet et immota secum virtute fatiscit, —  
Non itidem Romana manus; contendere postquam  
Destitit et pacem longis frenavit habenis,  
Ipsa domi leges et Graja inventa retractans  
30 Omnia bellorum terra quaesita marique  
Praemia consilio et molli ratione regebat.  
Stabat in his; neque enim poterat constare sine ipsis,  
Aut frustra uxori mendaxque Diespiter olim:  
Imperium sine fine dedi! dixisse probatur.

- Nunc igitur, qui rex Romanis imperat inter,  
 Non trabe, sed tergo prolapsus et ingluvie albus,  
 Et studia et sapiens hominum nomenque genusque,  
 Omnia, abire foras atque urbe excedere jussit;  
 Nunc, Capitolino veluti turbante Camillo
- 40 Lancibus et trutina Galli fugere relicta,  
 Sic nostri palare senes dicuntur et ipsi  
 Ut ferale suos onus exportare libellos!  
 Quid facimus? Grajorum hominumne requirimus urbes,  
 Ut Romana foret magis his instructa magistris?  
 Ergo Numantinus Libycusque erravit in isto  
 Scipio, quod Rhodio crevit formante magistro,  
 Ceteraque illa manus bello facunda secundo,  
 Quos inter prisci sententia dia Catonis  
 Scire adeo magni fecisset, utrumne secundis
- 50 An magis adversis staret Romana propago?  
 Scilicet adversis! Nam quum defendier armis  
 Suadet amor patriae et captiva penatibus uxor,  
 Conveniunt vespae, quarum domus arce Monetae,  
 Turba rigens strictis per lutea corpora telis;  
 Ast ubi pax segura redit, oblita favorum  
 Plebs materque una somno moriuntur obeso.  
 Romulidarum igitur longa et gravis exitium pax!
- Hoc fabella modo pausam facit; optima posthac,  
 Musa, velim moneas, sine qua mihi nulla voluptas
- 60 Vivere; uti quondam Lyde, dum Smyrna peribat,  
 Sic itidem migrare velim; tu denique quidvis  
 Ut dea quaere aliud; tantum Romana Caleno  
 Moenia jucundos pariterque averte Sabinos!
- Haec ego; tum paucis dea me dignatur et inquit:  
 Pone metus aequos, cultrix mea; summa tyranno  
 Hinc instant odia et nostro periturus honore est.  
 Nam laureta Numae fontesque habitamus eosdem  
 Et comite Egeria ridemus inania coepta.  
 Vive, vale; manet hunc pulchrum sua fama dolorem;
- 70 Musarum spondet chorus et Romanus Apollo.

## Explicatio carminis.

Vv. 1—10. Totum carmen quum quasi colloquium cum Caliope Musa sit, vid. vv. 12, 58, 64, 69. non habet a principio talem invocationem Musae, qualis ex more poetarum fieri solet, quae in tam brevi carmine non inutilis, sed jejuna foret; nam poetae Musarum opem in primis propter magnitudinem et excelsitatem operis sui invocare consueverunt. Imo vero poëtria Musam in sacrum quendam secessum invitat, ut cum ea colloquatur, similitudine sumpta a Numa Pompilio, qui in lauretis et prope fontes nemorosos in agro Aricino, quoties de rebus gravibus et periculosis consultum iret, cum Egeria, sive Nympha sive Musa fuit, sermonem habuisse creditus est. Cujus similitudinis manifesta significatio in hoc ipso carmine inest vv. 67, 68.

Feminae vati multo facilior praesens cum Musa congressus fingitur. Volebat autem Sulpicia cum Musa brevem sermonem instituere de re arcana et periculosa, de tristissima hominum, in primis virorum doctorum sub Imperatore Domitiano conditione, et opem Musae implorare, ut marito suo Caleno consilium et voluntatem injiceret Romam relinquendi, doctis et mathematicis viris sedem turpitudinis, contumeliarum, periculorum. Hoc est propositum consilium totius carminis, hic finis confabulationis cum Musa habitae, ut supra demonstravi:

tantum Romana Caleno

Moenia jucundos pariterque averte Sabinos.

O nur, nur lenke den Sinn des Calenus,

Dafs er mir folg' aus Rom und der lieblichen Flur der Sabiner.

Arcano, *penetrabile*, hoc consilium agendum erat, ne Domitianus, speculatoribus suis ubique dispositis, rescisceret, quod, si futurum esset, in exitium sibi suisque cederet.

*frequentas*, non: carminibus frequenter celebras, ut interpp. volunt. Vocabula adjecta celebrer et frequens similem quodammodo significationem habent; verbum celebrandi includit quidem notionem verbi frequentandi, sed verbum frequentandi non item vim celebrandi. *frequentare* est et *φοιτᾶν* et *συλλογῆν ποιεῖσθαι*; posterior significatio est hujus loci: arma virosque canendo colligis et collectos tanquam ante oculos poetarum ponis. Ita Horatius Od. II., 1. 21. in summo imaginandi calore:

Audire jam magnos videor duces,

Non indecoro pulvere sordidos.

*fabella*, breviculum colloquium, nequaquam hoc loco significat exilem rem, quod poetria nusquam indicari vult, imo colloquutionem suam cum Musa habendam ubique ostendit esse gravissimi momenti. Boxhornius P. Satyr. min. p. 34: carmen satyricum a Sulpicia consulto *fabellam* vocari, i. e. sermonem, ad similitudinem sermonum Horat., quod stilus esset non magnificus, sed humilis et depressus. C. G. Schwarzius apud Gurlit. program. Hamburg. a. 1819. p. 7. minus etiam recte: *fabella* innuit historiam de pravo statu reipublicae Rom. sub Domitiano. Quum igitur *fabella* h. l. colloquium significet, praeferendam lectionem *contexere* puto. Schw. *detexere*, al. *pertexere*.

*paucis*, ex cognito illo dicendi usu: *paucis te volo*, ubi aliquem breviter alloqueris; vel magis grammaticae: paucis iis numeris, quibus cett.; probabile tamen puto vocc. *paucis* et proximum *tecum* transponenda, quum omnino interpp. multum querantur de turbatis sedibus et singularum vocum et versuum; displicet enim duplex pronomen in uno versu. — N. Heinsius malebat *pacis*, ut *ἀντιθροισις* esset: alias heroas et arma frequentas, nunc *fabellam pacis* permittite *detexere*. Sed nulla hoc loco *ἀντιθροισις* esse potest, neque omnino sermo de pace est. Praeterea haec conjectura omnem *διλογίαν* evertit, de qua in praelegendis diximus, quam si ex hoc carmine tollimus, consilium et pretium ejus multo vilius fore existimandum est.

*nam tibi secessi*, = denn dir hab ich mich heimlich genahet.

*consilium retractans*, inest in hoc verbo iteratio quaedam; statuendum igitur, poetriam fingi velle, se jam aliquoties cum

Musa consilia conseruisse de re quadam omnium gravissima et, si evenerit, maxime salutari, si ceciderit, permultis mortalibus perniciosissima et funestissima. *retractare* est igitur rursus de hoc consilio agere.

*penetrabile consilium* potest quidem accipi = consilium, quod penates spectat, ex quibus philosophi edicto Domitiani jam ejiciuntur; simplicius tamen: consilium, quale tantum in penetrabilibus aedium a certissimis familias et domus sociis inire solet, velut arcana domus apud Tacit. Ann. I. 6. Penates vero et penetrabiles dii dicuntur et penetrabilia. Sil. Ital. I. 668.

Sacra domumque ferens et avi penetrabilia Turni.  
*quare nec carmine curro Phalaeci*, ita scripsi pro Phalaeco; nam adject. est Phalaecius, non Phalaecus. *Φάλαϊκος* poeta epigrammatum, incerti aevi, Athen. Deipnos. X. 440, distinguendus est a Phalaeco, poeta lyrico, fere aequali Bacchylidis, circa Olymp. 87., qui Hendecasyllabos scripsit, Auson. Epist. IV. 85. Terentianus Maurus in Collect. Pisaurensi, IV. p. 123, ita de hoc versu scribit:

Sed primi pedis ante lex tenenda est:

Spondeon siquidem videmus istuc

Tanquam legitimum solere poni,

Post hunc dactylon atque tres trochaeos;

Cui nomen quoque Phalaeco dederunt.

cf. Munk Metr. 160. Alii nomen scribunt *Φάλευκος*; sed *Φάλαϊκος* nomen Graecum etiam legitur Athen. VI. 232, unius ex tribus depeculatoribus templi Delphici. Neque Pape W. B. d. gr. Eigennam. *Φάλευκος* novit.

*nec carmine curro*, est quidem de celeritate metri, sed praeterea in consilio gravi non currendum, potius cum dignitate et circumspectione incedendum est. Horat. Sat. I., 3. 10.

*nec trimetro Jambo*; nescio, inquit Vinetus, quo bono auctore Sulpicia literam *i* consonantem fecerit in Jambo? Eodem auctore, respondet Auctor in Miscell. observ. VI., 350, quo Virgilius Aen. I., 288:

Julius a magno demissum nomen Iulo.

Ceterum totus versus velocius quid sonat.

*duce Clazomenio*, Hipponax patria Euphesius, sede Clazomenius, c. Olymp. 60, inventor versus *Σάζοντος*, Choliambi, propter sonum nescio quid reluctantem aptissimi ad iram et contumeliam inferendam. Terent. Maur. l. l. 121. Munk Metr. 141. Itaque fortiter irasci didicet versus; *didicit* similiter ac *novit* praesentis vim habet, = scit, callet, quamobrem lect. Ald. Pulman. Scalig. *discit* rejicienda est.

*fortiter irasci* est violentam iram in aliquem tanquam effundere, evomere, *ὀργιζέσθαι*. Etenim ad laqueos homines adegisse Hipponax creditur.

*pede fractus eodem* i. e. pede semper eodem fractus = sexto; frigida est lusio, tanquam ultimus pes versus defractus vel abruptus sit et inversum adaptatus. Wernsd. Poet. lat. min. legere vult *tractus*. Ceterum *pede fractus* est claudus, *χολός*, proprium versus Hipponactei nomen.

*Cetera quin etiam*, gradatio est, quam vocant; *constanter omitto* i. e. in perpetuum, quum temporum conditio tristissima sit et nugis poeticis quam maxime iniqua.

*quae denique mollia lusi*, ex emendatione Burm., libri: quot denique millia lusi; *quot* dictum pro *quotquot*; vocula *denique* quodammodo duplicationem numeral. indefinit. explente. Burm. ita emendavit, quum credendum non esse arbitraretur, Sulpiciam de millibus carminum suorum gloriari posse, quod quidem poetae, qualis Ovidius fuisset, dicere fas esset. Trist. II. 567. *inter tot scripti millia nostri*. Intelligit vero *mollia* carmina amatoria elegiaca et lyrica. Recepti emendationem Burm., quamquam tantillum gloriationis poetriae paene condonavi. Horat. Od. II. 12. 3. *molles modos* de carminibus lyricis dicit. Auct. in M. Obs. l. l. 358. legendum proponit *mellea* = melica carmina, duplicato *l* metri causa pro *melea*. Displicet. *Primaque Romanos docui contendere Grajis*; sententia Horat. aliorumque poetarum Romanorum. Wernsd. *Romanas*; at statuendum non est, Sulpiciam alias mulieres ad carmina pangenda incitasse. Auct. in M. Obs. l. l.: Dicit Sulpicia, se melica multa lusisse, i. e. carmina lyrica, et docuisse Romanos non tantum haec melica Grajis contendere, verum etiam do-

cuisse Graeca illa mele novis a sese inventis variare. Vv. 10—20. *Teque, quibus calles adgredior*, attractio, quam vocant: teque adgredior iis verbis (rebus), quibus me adgressurum calles, i. e. jam cognitum habes. Etiam haec ostendunt, poetriam complures congressiones cum Musa habitas indicare velle. In cassum interpp. h. l. laborabant. Memorabilis est conjectura Auct. in M. Obs. l. l.

Tesca, quibus princeps et facundissima, collesque  
Aggredior, —

versu ὑπερμέτρον. *Tesca* dicuntur loca sive nemora Musis sacrata, sive intelligas Helicon, sive laureta Numae in Aricino nemore. Varro de L. L. VI.: *Tesqua*, loca quaedam agrestia, quae alicujus dei sunt. Forte tesca nominat Musarum illa loca, quod, ut olim culta fuerunt, Domitiano principe neglecta et horrida erant.

*Dic mihi, quidnam cogitat?* ad nostrum usum loquendi.

*pater deorum*, omisso additamento Virgiliano: atque hominum rex; cum amaritudine, credo; Domitiano enim principe Jupiter in homines imperium habere desierat.

*an terras et patria secula mutat*; perperam Heinsius et alii: in patria secula; est enim moris hominum in temporum acerbitate et angustiis praeterita secula, saltem praeteritos annos collaudare. *orientibus eripit artes*; e longinquo repetita est explicatio Burm., qui orientes ad mortem afflictos et duro imperio Domitiani tanquam contabescentes interpretatur. Malim simpliciter accipi pro mortalibus, quum sciam, posteriore latinitate particip. praes. fere constanter adsumpsisse adjectivorum, persaepe etiam substantivorum vim atque naturam, velut volantes = aves, latrantes = canes, rudentes al. Quodsi quid altius repetere libet, explicandum: Juppiter ita eripit artes, ut mox morituri simus; non male poetria neque hodierno usui dissimiliter destitutionem philosophiae et jacturam omnium literarum *mortem* dixit.

Nosque jubet tacitos et jam rationis egenos,

Non aliter, primo quam quum surreximus aevo,

Glandibus et purae rursus procumbere lymphae.

imitata est Horat. Sat. I., 3, 99 seqq.

Quum prorepserunt primis animalia terris,

Mutum et turpe pecus, glandem atque cubilia propter

Unguibus et pugnis, dein fustibus atque ita porro

Pugnabant armis, quae post fabricaverat usus;

*tacitus* = et mutus et sine libero vocis usu, ut qui in servitute crudelissimi principis sit . *et jam*, non: *etiam*, conjungendum cum verbis rationis egenos, non cum verbo procumbere.

*glandibus et purae rursus procumbere lymphae?* procumbunt animalia quaedam ad bibendum; notio inest de subus; fortasse

poetria etiam meminerat fatalis illius scrofae cum porcis, quam Aeneas primo adventu juxta Tiberim invenisse fertur. Virg.

Aen. VIII., 81. Non accipio hunc versum de interdicto illo Domitiani, quo vitium culturam invitis Romanis et Provincialibus inhibuit; quod quidem edictum alioquin poetarum ingenia irritasse credibile est. Suet. Dom. 7 et 14.

*genus Ausonium Romulique exturbat alumnos*; de crebris exsiliis accipiendum, tanquam universus populus Romanus in exsiliium mittatur . satis poetice . comparandum, si verum est,

illud C. Caligulae de uno totius populi collo. Tacit. Hist. I. 2. Plenum exsiliis mare, infecti caedibus scopuli, — comitatae

profugos liberos matres, secutae maritos in exsilia conjuges, propinqui audentes, constantes generi . et 9, seqq. Pro *Romulique*

metri caussa Burn. Wernsd. *Remulique*. Sil. Ital. IV., 186 habet Rōmulum, sed in variet. lect. Sciopp. Veris. II., 16.

bisyllabum vult legi: *Rom'li*. Vinet. *Romì*; hoc enim fuisse verum nomen,

postea blandimenti gratia, ὑποκοριστικῶς, Romulum a populo dictum. Fest. s. v. *Roma* . *exturbare* proprium verbum de exsilio. Cic. Mur. 22, 45, hominem et civitate. Rosc. Am. 8, 23. penatibus praecipitem Sextum exturbat.

Quint. 31, 95. omnibus fortunis exturbatus.

Vv. 20 — 30. *Quid? reputemus enim!*; Wolan, lafst uns etwas zurückgehen . ita interpunxi; antea: quid reputemus enim? Est enim: quid enim? reputemus; Doussa *repetemus*.

*caput extulit* inter alias urbes de Roma etiam Virgil. Eclog. I., 24.

Verum haec tantum alias inter caput extulit urbes,

Quantum lenta solent inter viburna cupressi.

*virtus domi agitata*, de severa disciplina domestica, qua Romani in primis antiquo tempore excellebant. — *socialibus armis* = sociis multis adjunctis; cave, ne de bello sociali, quod vocant, cogites. Bella Punica tanquam lumina bellorum Romanis sunt; ergo Sulpicia primum bellum significat verbis: Romana virtus in freta Sicaniae, alterum: in arces Carthaginiis exiit. *exiit* Burm. Wernsd. Schwarz ap. Gurlit., *exiit* Ald. Raphel. Pulm. Vinet. *exigit* Scaliger, nullo sensu, nisi versibus transpositis 19, 23, 20, 21 seqq. Multum omnino queruntur interpp. de turbato, qui olim fuerit, versuum ordine; nos in hac re nihil fere impedimenti invenimus, recepto ordine versuum Schwarzii ap. Gurl.; duos versus, 39 et 40, rectius, opinamur, transposuimus post versum 44.

*totum simul abstulit orbem*; *simul* non est = zugleich, auf ein Mal; inest notio celeritatis, sed ita, ut ea celeritas, tanquam in corporibus cadentibus, praecipue in fine rerum conspiciatur. Eandem celeritatem notat *abstulit*, nisi mavis de praemio victoriae vel de ludentibus = gewinnen, accipere. *Deinde* est vera particula temporis h. l., non habet enim prius, ad quod in enumeratione referatur, sed in universum de sequenti tempore usurpatum = Später dann.

*velut stadio victor*; de equo intelligit Burm., nos non item, sed potius de cursore vel agitatore, qui ceteros omnes vicit; talem agitorem ceteros vincere studentem egregie describit Horat. Sat. I., l. 114.

Ut, cum carceribus missos rapit ungula currus,

Instat equis auriga suos vincentibus, illum

Praeteritum temnens extremos inter euntem.

Male Harles ap. Gurl. hunc victorem interpretatur *rude donatum*.

*immota secum virtute fatiscit*; ubi nemo amplius aemulus superest, a quo excitetur; *immota* = a nullo provocata.

*fatiscere* et *fatisci*, rursus deficere, Non. Marcel. p. 210 et 326. ed. Gerlach-Roth.

*Non itidem Romana manus; contendere postquam;* ita et scripsi et distinxi primus. Sensus enim et totum carmen flagitat. Editt. omn. *Sic itidem*, quod restitui v. 61 pro: *nunc itidem*, suspicatus quid de turbata sede vocularum; itaque *nunc itidem* conjecturae *non itidem* propius accedit. Barth. ita: *Sic itidem Romana, manu contendere postquam* cett. Recessit enim Sulpicia et animi et totius argumenti caussa a communi opinione hominum, virtutem Romanam post finita bella Punica, aemulis remotis, languere coepisse. Imo illa tempora comparans cum iis, quibus ipsa vixit, non potuit non praedicare atque laudare. Scribit quidem Vell. Patere. I., 2: vetus disciplina deserta, nova inducta, — a negotiis in otium conversa civitas. Vellejus haec cum vituperatione, superiora simplicis et liberae reipublicae tempora comparans; Sulpicia vero tristitia sua tempora conferens, illa fortunata habere jure poterat. Scio equidem neque nego, remoto Carthaginis metu, Romanos praecipiti cursu a virtute descisse et ad vitia transcurrisse; sed aliter rem judicare Sulpiciae conveniebat. Dicit enim, Romanos post bella finita leges, artes, literas, tanquam bellorum praemia, quaesisse, tractasse, coluisse. Valde firmatur mea sententia vv. 45 — 51. *longae*, laxae, remissae habenae dantur equis bene condocefactis, adstrictae ferocibus et desultoriis equis. Haec comparatio quodammodo adjuvat Burm. explicationem, victorem de equo intelligentis; omisit tamen eam Burm. in rem suam convertere. — *molli*, malim *leni* i. e. placida pace. »Mollis ratio regendi opponitur militari disciplinae, quae olim obtinuit, antequam Graecas artes didicerant Romani.« Gurl.

Vv. 30 — 40. *Graja inventa*, de philosophia et omni doctrina, quam vocant, speculativa; philosophia enim invenit i. e. excogitat, quod est, aut quod esse debet, nihil reperit. Vix consentiunt haec cum Ferd. Schultzio, latin. Synonym. p. 35. *stare et constare*, de civitatibus etiam apud Cic. velut de Offic. III., 1. 12. Itaque plura brevi tempore eversa, quam multis annis *stante* republica scripsimus.

*Diespiter*; dies est Umbrica extensio vocis  $\Delta\iota\varsigma$  = divus. Macrobr. tamen Saturn. I., 15 explicat diei pater, Festus vero s. v.;

dies dictus, quod divini est operis, a Jove rectore, quem Graeci *Δία* appellant.

*Diespiter uxori dixisse probatur*; Veneri haec dixit Juppiter, non Junoni, Virg. Aen. I., 278.

His ego nec metas rerum nec tempora pono,  
Imperium sine fine dedi; quin aspera Juno,  
Quae mare nunc terrasque metu coelumque fatigat,  
Consilium in melius referet — — —

Hofman Peerlkamp in edit. Virg. p. 38.: Sulpiciam deceptam esse putat eo, quod sequatur: *aspera Juno*. Burm. pro *uxori* legendum censet *Veneri*.

*nunc igitur*, Auct. in Misc. Obs. proponit *nunc aliter*, sed illud est indignantis et solliciti animi, conjungendum cum verbis: urbe excedere jussit. Proxime repetitum *nunc*, cum impressione pronunciandum indicat, quam diversa haec tempora sint ab iis, quae modo laudabantur.

*qui rex Romanos imperat inter*, ex conj. J. Dousae; invidiose Domitianum *regem* appellari; *imperare inter Romanos*, quamquam insolenter dictum, tamen ferri potest, praesertim in posteriore latinitate, vix ferri potest mira latinitatis ratio in altera scriptura: *inter res Romanas imperare*. Boxh. *inter* satirice dictum putat, tanquam imperium Domitiani non legitimum sit, sed quasi interregnum, brevi collapsurum. Qua ingeniosa interpretatione carminis amaritudo, quae in ceteris non magnopere acerba est, admodum augetur. Concesso, poetriam illud dicere voluisse, facillima emendatio subit: qui rex Romanis imperat inter, non insolita illa tmesi, praesertim apud satiricos, i. e. *interex R. imp.*

*non trabe, sed tergo prolapsus et ingluvie albus*; haud scio an difficillimus et vexatissimus totius carminis versus sit. Illud video equidem, esse probrum, non de animi, sed de corporis habitu jactum. Casaubonus de Satir. Poes. p. 236. ed. Ramb. in his verbis proverbialem Graecorum jocum inesse arbitratur: *οὐκ ἀπὸ δοκοῦ ἔπεσεν, ἀλλ' ἀπὸ νοῦ* vel *ἀπ' ὄνου*. Quod proverbium aeque obscurum est, quam ille versus. Praeterea Sulpiciam, cujus animus communi rerum calamitate vehementer

commotus esset, neque ipsam joculari in hoc carmine, neque obscurum proverbiale Graecorum jocus vertere et adhibere voluisse, verisimile est. Multum inter se differunt explicationes h. l. Rutgersii, Casauboni, J. F. et J. Gronoviorum, Boxhornii, Casp. Barthii, Schwarzii, aliorum, quae insunt in commentario Schwarzii apud Gurlittum p. 20 seqq. Minime vera est explicatio Casp. Barthii Adverss. XLVII. 16., neque ea Sulpiciam, castam et verecundam matronam, ullo modo decere potest. Vult enim a Sulpicia dici: Domitianum contra communem naturae ordinem in lucem venisse. Miror, tam versatili ingenio, quam Barthii fuerat, ut explicationem suam sustentaret, levissimam conjecturam non succurrisse: non trabe, sed tergo *prognatus*. Idem interpretationem suam firmare conatur versu Lucilii apud Non. Marc. s. v. *postica*. Adsentitur ex parte Barthio Burn. Sed quid Sulpiciae cum Lucilio? Imo strictim h. l. monendum est, talia fuisse apud Lucilium, quae Horat. castigaret, Sat. I., 4. 11.

Quum flueret lutulentus, erat quod tollere velles. ibique Dillenburger. — A tali enim joco, qualem Barthius statuit, abest omnis jociatio. Itaque honestissime hunc locum Schwarzii cepit, p. 24: Is, qui hodie imperat Romanis, non trabe, hoc est coelo, sed tergo asini, tanquam homo iners et stolidus, prolapsus est. trabem enim, *δοκόν*, significare *μετέωρον* quoddam coeleste. Plin. H. N. II., 26.; addo Senec. Nat. Quaest. I., 1. Secundum hanc Schwarzii explicationem versum vertit Koestlinus, professor olim Hamburgens.

Nicht dem Olymp, nur dem Esel entsank er, der bläfsliche Schwelger.  
Sententia ex se non displicet quidem, sed quomodo, quaeso, trabs coelum et tergum asinum significare potest? Si hoc verum est, de quovis quidvis facere licebit. praeterea Schw. suam interpretationem et proverbium Graecum, a Casaubono allatum, mire commiscuit. Janus Rutgersius var. lectt. III., 8. tergo prolapsus explicat *tergo inclinatum*, i. e. gibbosum, quod Domitianus somniasset, gibbam sibi enatam, Suet. Dom. 23.; vocem trabis vero non explicatam omisit. Deterruit qui-

dem magnus Burmannus hunc locum interpretatione sua tentare ausuros his verbis dictatoriis: »At quantum praestat ignorantiam profiteri, quam inepta commentari.« Periclitabimur tamen. Jam supra indicavimus, hunc versum significare convicium sive *λοιδορίαν* corporis, uti manifesto ex verbis: *et ingluvie albus* appareat. Mulierem iratam et animo perturbatam corporis vitia alicui opprobrio dare, non inauditum est. — Suetonius de corpore Domitiani haec scribit, c. 18. *Postea calvitio quoque deformis* et obesitate ventris et crurum gracilitate, quae tamen in longa valetudine remacruerant. (*tamen* significat: indefs, i. e. gracilitatem crurum morbo quodam factam esse, sed calvitiam et obesitatem ventris luxuria et heluatione; verbo hoc tetigi, quod interpretes vidi in alia omnia abisse, quam in hanc simplicem explicationem.) Itaque sic existimo, per trabes h. l. contemptim tibias sive pedes, crura, per tergum vero supremam partem capitis, verticem significari; nam tergum est = jede Oberfläche (= Ueberzug, Haut, Fell) velut clypei. Virgil. Aen. X., 482, 784. *prolabi* est profluere, diffluere, ausfließen, aufgehen, de corporibus animalibus dictum. Itaque cum acerba amaritudine probrum jactum est: Domitianus non trabe, sed tergo prolapsus est, i. e. vires ejus heluando et comissando quaesitae et corruptae non in pedes et crura, sed in calvitiam prolabebantur, diffluebant. *Prolapsus* dicitur, qui qualemcunque ob causam solito virium vigore destituitur. Cic. pro Quint. 24., item de moribus ad perversitatem abjectis, Tacit. Ann. XII., 53. Meam interpretationem praeterea duo alii loci apud Suetonium valde adjuvant, unus cap. 18: *Calvitio D. ita offendebatur*, ut in contumeliam suam traheret, si cui alii joco vel jurgio objectaretur; alter locus c. 19: *pedibus per urbem non temere ambulavit* — lectica assidue vectus est. — Hanc explicationem ad veritatem proxime accedere opinor.

*ingluvie albus*, Varro de L. L. fragm. ed. Plantiniana p. 153: *ingluvies* sunt tori circa gulam, qui propter pinguedinem fiunt atque interjectas habent rugas. (Hunc Varronis locum neque G. Freundius V. Cl. in praecelaro lexico, neque Forcellinius

habent.) Ingluvies, Festo s. v. *inglucivies* in quibusdam Germaniae regionibus est Kader, alibi Kropf, sed non struma, qui est morbus. Hoc loco vero ingluvies metaphoricè dicta voracitas est. Eutrop. de Vitellio VII., 18: notabilis ingluvie et voracitate. — Albus color, pallor in hominibus gulosis esse solet. Horat. II., 2, 15. album corpus in hydropisi. Sat. II., 2, 21. Pinguis et albus v. conjunguntur. Pers. III., 98. Turgidus hic epulis atque albo ventre lavatur. Wernsd. Ceterum omne hoc opprobrium injustum esse, verba Suetonii ostendunt c. 21. prandebat ad satietatem, ut non temere super coenam praeter Matianum malum et modicam in ampulla potiunculam sumeret. En, poetria irata et iniqua. Plin. quidem Panegy. 48. de Domitiano: femineus pallor in corpore, in ore impudentia multo rubore subfusa. v. 38. *omnia*, cum impressione pronuncian- dum est. Horat. Sat. I., 3, 12. de Tigellio Sardo:

modo reges atque tetrarchas,

Omnia magna, loquens — —

*omnia* non referendum ad studia, eamque ob causam ab utraque parte incidendum. Enumeratis enim pluribus haec vox tanquam extremum adjungitur; respondet quodammodo prosarium illud: quid multa? ne multa!

*quid facimus?* facere ut Graecum *ποιεῖν*, se gerere, agere = wie geht es uns jetzt? Horat. Sat. I., 1, 94: *ne facias*, quod Ummidius quidam, (quem liberta securi percussit.)

*Grajos hominumque reliquimus urbes*; interpretantur *hominum* aut pro *eorum* dictum, cujus rei exempla rara suppetunt, aut Graecos solos humanitatis nomine dignos esse. Wernsdorfii explicatio: *reliquimus*: in statu suo manere sivismus, non delivimus, displicet. — Malim equidem:

Quid facimus? Grajorum hominumne *requirimus* urbes,

Ut Romana foret magis his instructa magistris.

Praesens tempus h. l. vix offendere potest; est etiam in discrepantia scripturae antiquissimorum Codd. *relinquimus*, adeo ut Burm. *relinquimus* retinendum putet propter praegressum: *quid facimus?*

Transposuimus duos versus 39 et 40 post versum 44 his excaussis; primum enim illud dupliciter et cum impressione qua-

dam dictum *nunc*, vv. 35 et 41, illis versibus h. l. interceptis, propius inter se conjungitur, quod ex poeticis causis necessarium est; deinde haec verba non sunt philosophorum, ut interpp. volunt, quum vv. 43 et 40 ita accipi non sinant; tum v. 45 (et seqq.) aptissime et pulcherrime excipit illos duos versus, de quorum transpositione agitur; vide:

Quid facimus? Grajorum hominumne requirimus urbes,  
 Ut Romana foret magis his instructa magistris;  
 Ergo Numantinus Libycusque erravit in isto  
 Scipio, quod Rhodio crevit formante magistro,  
 Ceteraque illa manus bello facunda secundo, rell.

Conjunctivum *foret* pro *sit* in finali enunciato, praesenti temp. praegresso, ita expedit: requirimus urbes Graecorum, ut Roma magistris instructa sit, at non est, itaque *ut esset*. De praesenti temp. *requirimus* cf. Hertzberg ad Propert. I., 120: »proprium et nescio an singulare sit, quod P. praesens non modo pro perfecto historico ponit, sed pro vera actione absoluta.« exempla affert IV., 1, 77. Me creat Archytæ suboles; 121. Umbria te edit; IV., 2, 3. Tuscus ego, Tuscis orior, alia. Praesens temp. interdum poni videtur in rebus praeteritis, quas tamen ipsi vidimus, aut, si non vidimus, quas per terrarum orbem notas esse censemus, velut Pers. IV., 2.

Rem populi tractas? barbatum haec crede magistrum  
 Dicere, sorbitio tollit quem dira cicuta.

i. e. Socrates. — Madvig Opuscc. acad. II., 225. etiam loquitur de praesentis usu in brevi rei praeteritae significatione eumque exemplis poetarum illustrat. Wagner ad Virg. Aen. IX., 266. in substantivis interdum inesse causam credit, cur praesens verbum praeteriti significationem habeat. Praeclare Schneidewin in recensione Propert. ex edit. Hertzberg; Götting. gel. Anz. 97. Stück 1846. docet: verba nonnulla durantem significationis vim natura sua ita in praesenti tempore tenent, ut, etiamsi de re praeterita indicandum sit, tamen praesens ponatur: orior = ich stamme ab, me creat = bin Nachkomme. Latius hunc usum patere in Graecis: *ναῖαν*, *τίκτειν*, *γεννᾶν*, *φειῆγειν*, *κλύειν*, *ἀκούειν*, *πυρθάνεσθαι*, alia.

*requirere* est diligenter, diu quaerere, Non. Marc. p. 294. ed. Gerl. Roth.: Afran. Fratris: Proin tu, quum quaeram, ne requiram, vide; etiam apud Ciceronem legitur: literas et libros requirere. Totum locum sic vertas: Wie geht es uns jetzt? wir suchen auf die Griechen und die Städte der Griechen, um Rom mit Lehrern der Weisheit zu versorgen! Und nun? Schw. ex ingenio legere mavult:

Urbs ut Roma foret magis his instructa magistris.

40—50 vv. Camillus ornamento cognominis Capitolini pulchre ab una Sulpicia donatus. Repudianda sunt, quae h. l. interpp. proferunt, velut de lapsu memoriae et id genus.

*lancibus*; Burm. et Wernsd. dederunt *ensibus*; quum singulare factum a poetria indicetur, dico illam auri in Capitolio pensuram, quumque appositum sit *trutina*, vides, utrum praefendum sit. — *dicuntur*, non accipiendum est de fama; res enim erat certissima et notissima, imo = *jubentur*. *Ut ferale suos onus exportare libellos*; *exportare* conj. Burm. recte. in antiqq. libb. *extirpare*. Auct. in Misc. Obs. *exsecrare*, obsoleta verbi forma. — Senes philosophi animo poetriae obversantur tanquam in agmine funebri incedentes et urnas portantes, in quibus pro cineribus libelli sui insint. Sensus non commodat lect. *et ipse* — — *sonus*, Ald. Vinet. Raphel. Pulm. — Fannia, Thraseae filia, Helvidii Prisci conjux, libros a Senecione de vita mariti scriptos, quamquam ex necessitate et metu temporum senatusconsulto abolitos, publicatis bonis servavit, tulitque in exsilium exsilii causam. Plin. Epist. VII., 19.

*Libycus Scipio*; vix quisquam ante Sulpiciam ita Scipionem dixit; amat graeca verba, velut in hoc carmine *heroes, pausa, dia, Sicania*, sed hoc est ex primi seculi p. Chr. n. latinitate. Illud observatione dignum adjiciam; in antiquissima latinitate Graeca vocabula perviguisse, fere usque ad Plauti aetatem et paullo longius; Plautus enim plurima habet Graeca, Terentius multa pauciora; in media et aurea latinitate vitata, sub Caesaribus rursus Graeca eaque vulgari sermone largiter recepta esse. v. 46. *qui*, constanter edd., sed praegressum *in isto erravit* postulare videtur *quod*, quae lectio omnino totum versum expeditiorem facit. *formante magistro crescere* est praeclara locutio,

summo poeta digna. — Pro Rhodio voluerunt alii Rudio, Ennium intelligentes, sed sermo est de Graecis praeceptoribus, quam rem optime explicavit Burm. p. 432. Panaetium enim Scipio Aemilianus minor cum Polybio comitem habuit in Africam Consul a. U. c. 607. missus. Suid. s. v. Ceterum adject. *Rudinus* in latinitatem receptum est, non *Rudius*. Cic. Arch. X., 22. de Orat. III., 42.

*bello facunda secundo*, etiam magis sonus offendit in altera lectione: *secunda*; prior vera, quum de rhetoribus et eloquentiae studio dicatur et in crebris concionibus de rebus Carthaginis in senatu habitis eloquentiae sane amplissimus locus fuerit. vv. 50 — 60. *utrumne secundis, an magis adversis staret Romana propago*; de hujusmodi dicto Catonis Censorii quum nihil constet, malim in universoni interpretari: ex omni agendi et sentiendi ratione hujus viri patuisse, salutem et fortunam populi Romani non in literis et artibus colendis constare, sed in laboribus ac bellis perferendis. Itaque res secundae et adversae longe aliam significationem habent, quam quae plerumque in usu est: res secundae sunt pacis ornamenta, adversae sunt bellorum labores.

*scilicet adversis!* acerba et *εὐρωεῖα* et *διλογία*: ja wohl, im Unglück befindet sich Rom besser! wie etwa gegenwärtig, Domitiani tempora perstringens.

*captiva penatibus uxor*; ex antiquissima necessitate et consuetudine feminarum, uxor *domiseda*, Orell. Inscript. 4639.; castimoniam significat. De toto loco compares Callini Ephesii Eleg. vv. 6 et 7. Schneidewin Delect. P. Gr.

Τιμῆν τε γάρ ἐστι καὶ ἀγλαὸν ἀνδρὶ μάχεσθαι  
γῆς πέρι καὶ παιδῶν κοιριδῆς ἰαλόχου  
δυσμενέσιν .

*conveniunt vespae*, ex conjectura dedi; vulgo *convenit ut vespis*, sensu mire intricato, ut turba rigens sit apum et acerrimum certamen vesparum et apum in comparisonem vocetur. Sed ex nostra scriptura sensus simplex et perspicuus: ubi amor patriae et uxoris Romanos ad arma impellit, *conveniunt*, concurrunt ut vespae, particula comparisonis omissa, ut centies apud poetas Latinos, in primis apud Horat. De apibus nihil sermonis h. l.

est; ex depravata lectione proximi versus, ubi in libris minus bonis *apes pro pax* exhibetur, error fluxit. De nido vesparum in templo Monetae in arce montis Capitolini cf. Wernsd. uberrimum excursus I. Poett. min. III., 489. Sed nihil refert scire, ubi vespae in urbe nidificarint; est additamentum explendi versus caussa, nescio an satis fucatum. De situ templi Monetae vid. W. A. Becker Röm. Alterthüm. I., 392.

*turba rigens strictis per lutea corpora telis*; appositio eleganter addita, de vespis, non de apibus intelligenda, quae quodammodo compensat jejunitatem verborum: *in arce Monetae. rigens* de aculeis ut hastis convenit, Barth. male: *vigens*. Comparandum est illud omen apud Virgil. Aen. VII., 64 seqq., quod apes in arce Latini regis de futuro Romanorum adventu et magnitudine dederunt. *ast ubi pax*; Wernsd. *apes*, rara casus recti forma, altera lectione condemnata; voluit enim per omnia certamen inter vespas et apes intelligere.

*oblita favorum*, ita Burm. Wernsd. Schw.; alii *laborum*, alii *malorum. materque*, Dousa *patresque*, ut plebi patres opponantur; sed recte *mater* legitur de regina, quam vocant, vesparum. *obeso somno*, adscripsit hunc locum Georges, V. Cl., cui in rebus hujusmodi summa fides habenda est, in egregio lexico schol.: *obesus* = *träg*. *longa et gravis exitium pax*; mira et paene inaudita collocatio verborum; *exitium* tanquam interjectio sive exclamatio positum videtur, ut *malum, perniciēs, nefas!* similia. haec voces enim propter sensum sine ordine et temere, ubi libet, interjiciuntur. Fortasse chiasmo quodam legendum:

Romulidarum igitur grave longa est exitium pax.

*pausam facere* non finem, sed interstitionem colloqui significat neque cohaeret cum proximo *posthac*; *posthac optima moneas* = auch für die Zukunft rathe mir, Muse, das Beste. Jam sequitur proximis versibus summa sententiarum totius carminis; versus vero ita emendandos censeo:

Optima posthac,


Musa, velim moneas, sine qua mihi nulla voluptas  
Vita est! Ut quondam Lyde, dum Smyrna peribat,  
Sic itidem migrare velim; tu denique quidvis  
Ut dea quaere aliud; tantum Romana Caleno  
Moenia jucundos pariterque averte Sabiuos!

*Optima posthac velim moncas* quodammodo blanda excusatio est: in Allem will ich Dir sonst gehorchen, nur laß mich aus Rom wandern und bewege meinen Gemahl Calenus auch dazu! Editt. omnes *Lydus*; N. Heinsius *Lydis*, Smyrnam olim a Lydis expugnatam et misere vexatam esse ex scriptt. explicans. — Accesserim iis, qui per Lydum Homerum intelligi voluerint; poetria enim insolitam nominum quorundam novitatem amplexari videtur, velut modo Camillum Capitolinum, Scipionem Libycum dixerat; quidni Homerum Lydum? Ita Propertius quoque absconditis quibusdam nominibus libenter utitur, quae consuetudo poetarum Alexandrinorum maxime propria erat. Haec cogitabam, quum forte inter legendum discerem, Lyden uxorem Antimachi, poetae Colophonii, ex Jonia migrasse, maritum vero secutum et uxorem brevi postea mortuam egregio carmine celebrasse. Bach Philetæ reliqq. p. 240; Schellenberg fragm. Antimachi, 14. Müller in Pauly Real. Encycl. s. v. Antim. cf. Hermesianactis Eleg. I., 152, apud Schneidewin Dellect. P. Gr.

*Λύδης δ' Ἀντίμαχος Ἀνσηΐδος ἐκ μὲν ἔρωτος  
πληγείς Πακτωλοῦ ῥεῦμ' ἐπέβη ποταμοῦ ·  
Δαρδάνη δὲ θανοῦσαν ὑπὸ ξηρῆν θέτο γαῖαν,  
\*καλλιωναιζαον δ' ἦλθεν ἀποπρολιπῶν  
ἄκρην ἔς Κολοφῶνα · γόων δ' ἐνεπλήσατο βίβλους  
ἰσῆς, ἐκ παντὸς παυσάμενος καμῆτου.*

Multum operabantur viri docti in emendandis his versibus, vid. Schneidewin l.l. — Haec de Lyde conjectura prorsus apta est nostro loco et hoc ipsum, quod Sulpicia se cum femina mariti amantissima comparat, admodum eam commendat. Quis porro investigabit, quibusnam in locis quovis tempore Antimachus cum Lyde commoratus sit; in Jonia, hoc certum, quidni Smyrnae? Smyrnam vero saepius intestinibus turbis vexatam esse, cognitum est, velut aetate Homeri, qui propter tyrannidem patria excessisse credebatur. Certe ex Jonia migrasse conjuges, testimoniis probatur. Praeterea Sulpicia, quae multum versata esset in poetis Graecis legendis, et ex hoc ipso carmine apparet, in cujus initio rariores poetas Phalaeccum et Hipponactem appellavit, aliosque indicavit, accuratiorem notitiam rerum hujusmodi habuisse credibile est. — Auct. in Misc. Obs. per Lydum Hipponactem intelligit, qui Epheso relicta Clazomenas se contulerit,

cedens tyrannidi Athenagorae et Comae, Suid. s. v.; Ephesum vero olim Smyrnam vocatam esse, testari Strabonem XIV., 633 et Stephanum *περὶ πόλεων*. Pro nunc itidem restitui sic itidem, quod legebatur v. 27, illo vero versu legendum esse non itidem, supra demonstravi. *Tu quidvis quaere aliud, ut dea*; in his tectam admonitionem inesse voluerunt interpp. de necando Domitiano. pro tantum *Romana Caleno* Auct. in M. Obs. miram habet conjecturam: teneat Romana Celaeno; Furiam de Domitiano intelligens. Idem *Sabinos* explicat patruelles Domitiani, quos poëtria Roma averti vellet, ne a furia illa interimerentur. — *jucundi Sabini* sunt agri, praedia in Sabinis. Horat. Od. II., 18. Satis beatus unicus Sabinis. III., 4. Vester, Camenae, vester in arduos tollor Sabinos. *Calenus*, dives et nobilis vir, fortasse complura praedio in agro Sabinorum habuit, quae eo majore cura coluisse videtur, quo tristior et abjectior communis rerum status in urbe erat. *dignatur et infit; dignarier infit*, Ald. Vinet. Pul. Raph. Dousa, Heins. *metus* plurali numero rare invenias, velut Cic. de off. III., 32. omnes et metus et aegritudines ad dolorem referuntur. *Hinc instant odia*, recte emendavit Heins.; al. *haec*. Burm. proponit *Ecce instant; hinc* = ab hac parte i. e. a nobis Musis; explicat Musa verbis: nostro periturus honore est. *sua fama* emend. Dousa, antea *tua* legebatur. *hunc dolorem*, est carmen, ut Graecum *Ἰσχυρός*. En, poëtria ipsa potius elegiam haberi voluit carmen suum, quam satiram. Ceterum totum illud est ex nota ambitione poëtarum, qui immortalitatem suorum carminum ubique fere praevidere sibi videntur. Spondet hanc Musa verbis satis amplis et Romanus Apollo in primis, quod Sulpicia Graecorum poësin studio atque industria ad Romanos transulerit. Multo modestius et urbanius fecit Sulpicia, quod hanc immortalitatem non ipsa sibi praedixit, ut Horatius et Ovidius fecerunt, sed Musam induxit vaticinantem.



**Ignoti auctoris**

**Satira de litibus vitandis rarissima**

**recognita, emendata.**

**A**djunximus opportunitate data hanc satiram, quam satis raram esse cognovissemus. Praelagenda et plenum quem adcuravimus commentarium repetito carmine edendum in aliud tempus distulimus. Cetera omnia de hac satira hoc quidem loco et tempore de industria reticemus. Id verbo commemorare satis est, hoc carmen intra plus ducentos annos, quod sciamus, editum non esse, neque apud Scalligerum, Pithoeum, Barmannum, Wernsdorfium, Henr. Meyerum, in Collectione Pisarense legi.



- O** dirae lites, o jurgia dira reorum,  
 O Furiis, Ereboque satae, mortalia nempe,  
 Continuo dure laniatu corda secantes!  
 Quis neque deterius potuit neque tristius ullum  
 Juppiter iratus terris immittere monstrum,  
 Quae lassis requiem membris somnumque negatis,  
 Omnia quae pravo naturae vincula more  
 Solvitis et junctas aeterno foedere dextras  
 Cogitis adversis concurrere comminus hastis;  
 10 Quae firmum nihil esse, ratum nihil esse jubetis,  
 Quae regum comites ultroque impellitis ipsos  
 Nescio qua blanda reges dulcedine captos  
 Currere in hoc stadio nec honesta vincere pugna.  
 At meliora tamen succedunt ultima primis  
 Et ferrum fulvo fortasse rependitis auro  
 Et, quum multa rei tulerint incommoda, tandem  
 Grande lucrum referunt. Quale hoc? lucentur ut assem,  
 Tota resignatis fundunt patrimonia fiscis.  
 Quid quod multa ferunt servis indigna? sui que  
 40 Obliti generis nunc vilis ad ostia scribae  
 Mane sedent illumque forum comitantur euntem,  
 Observant quam longa dies et nocte reducunt?  
 Hinc ubi clauduntur manibus subsellia ferreis,  
 Lictores solio insignes virgaque superbos  
 Suspiciunt humiles aditumque precantur et orant.  
 Aut mixti media certant irrumpere turba,  
 Excipiuntque nihil praeter maledicta levesque  
 Adstantum risus et vulnera saepe reportant.  
 Tantane venturi spes vos sustentat honoris,  
 30 Libertas ne sit potior? tu scilicet ista  
 Nobilitate ferox istisque parentibus ortus  
 Vilibus officiis submittere libera colla  
 Pulchrius esse putas, ut ne videre propinquo  
 Aut alii cessisse tuis de vitibus unam?  
 Instar equi viridem in prato qui solus ut herbam  
 Paseret, impigro veritus concurrere cervo,

- Fugit ad externas vires hominemque poposeit  
 Auxilium dorsoque equitem frenumque recepit  
 Ore, quoad totis superatus cederet herbis  
 40 Aemulus. At quanti victoria constitit illi!  
 Victor eques domito renuit descendere dorso  
 Nec victoris equus manibus detorsit habenas  
 Quid tu? Ne fiat res esse tibi minor uno,  
 Ne plus accipiat, sibi ne plus arroget alter,  
 Tot superinducis dominos clate superbos  
 Et claro capiti tot spurca redemptaque numis  
 Mancipia, unius quia mores ferre nequisti,  
 Visus quod potior tibi pace teruncius alma.  
 At tibi ne fuerint, quaeso, tua commoda tanti,  
 50 Neve adeo pulchrum ducas civilibus armis  
 Vincere et excutias animo generosa tuorum  
 Facta, quibus magno vitae discrimine partos  
 Hos quondam titulos atque haec insignia genti  
 Transmisere tuae. Tu degener arma relinques  
 Digna viro? potiusque stili mordacis acumen  
 Intendes sociis et civibus atque propinquis,  
 Quam stringes gladium patriae generosus in hostem?  
 Si res est jactanda, modo jactetur honesto.  
 Aude aliquid melior quo sit respublica et unde  
 60 Immortalis honos aeternaque manet in omnes  
 Gloria venturos post secula longa nepotes.  
 Nobilitas verae se captam laudis amore  
 Praedicat, in promptu laus est facilisque paratu,  
 Si falsam vera scires distinguere laudem.  
 Ut vincas modicam sub avaro iudice litem  
 Vendis agrum vendisque paternas improbus aedes,  
 Ut patriam tuearis equisque armisque parandis,  
 Sordidus exiguum quadrantem impendere nolis?  
 Non ita Grajorum surrexit gloria coelo,  
 70 Non inclusa foro, non his exercita pubes  
 Artibus Europae atque Asiae circumtulit arma.  
 Castra forum, stilus ensis erat, secunda domi pax;  
 Cum patriae bellum communiter hoste gerebant.

Verum haec nec puer edidici, nec tradita patri  
 Accepti, nec Aristotelis de moribus unquam  
 Librum aut divini Platonis dogmata legi.  
 Me pater adimonuit puerum, me semper adultum,  
 Rem facerem, bona quae delata parentibus haeresi  
 Cepissem quacunque via et ratione tueri.  
 80 Quo me defendam potius quam iudicis atque  
 Legum praesidio? quibus illum justius armis  
 Extrudam laribus patriis fundoque paterno?  
 Hunc circumveniam captumque in vincula ducam,  
 Unde queat non ipse fugax evadere Proteus.

Nec vero nihil iste videtur dicere caussae,  
 Res et divitiae quum sint extrema bonorum;  
 Quamquam rem melius mature abjecerit, ut ne  
 Cum rebus pariter meliores perdat et annos.  
 Istis quid facias, istis, qui limina sacra  
 90 Musarum, tripodes sacros et Apollinis arcum  
 Attigerint? Libris videas quos saepe relictis  
 Amplecti lites inimicaque jurgia Musis,  
 Jactari circum omne forum, circum omne tribunal?  
 Non sic Democritus, non qui bona perdere avitae  
 Non dubitavit, ut hoc quasi pondere mente levatus  
 Liberius studiis incumbere posset honestis.

Ergo vide, sacras tua ne sententia leges  
 Et pariter legum consultos pellat ab urbe,  
 Turbarum ut cupidos et seditionis amantes.  
 100 Consultos ego legis et ipsam tollere legem  
 Amens voce mea jubeam? cui nulla videtur  
 Publica res sine lege diu consistere posse;  
 Quae sceleri poenam, virtuti praemia ponat,  
 Utilis ipsa quidem multisque referta beate  
 Ac bene vivendi praeceptis. Sed quotus illam  
 Quisque solet dextris hodie contingere puris?  
 Turpia degeneres vilis contagia lucris  
 Corruptum animos; lucris inhiatis avari!

Atqui de magnis et multis litibus ampli  
 110 Existunt reditus, veniunt uberrima lucra;

Moliri caussas igitur conamine toto  
 Expedit atque animos intendere litis amori,  
 Commonstranda forum via, quae lectissima ducat,  
 Implendi spe certa animi litesque serendae,  
 Multiplicem ut fructum reddat cum foenore campus.  
 Si fuerit nostrae lex adversaria caussae,  
 Si iudex custos rigidus legisque magister,  
 Quaerenda est ratio, qua legem eludere possis,  
 Qua vafri quamvis et acuti iudicis aurem  
 120 Decipias; haec prima solent exordia lites  
 Sumere, sic quoque lis deinceps ex lite resurgit,  
 Et forti semel una manu jugulata cadendo  
 Restituit plures alias, mirabile dictu!

Angulus ecce, vides, qui sese projicit extra  
 Moenia lata fori, Galeotae pone tabernam,  
 Vendit ubi fucos unguentaque mollia quidam  
 Insubrum aut Ligurum nuper qui venit ab oris,  
 Ad quem saepe velut scopulum est illisa reorum  
 Et projecit opes immensas naufraga puppis, —  
 130 Angulus iste dolis plenus te multa docebit,  
 Optima, iudicibus tenebras obfundere caecis,  
 Extrahere in menses multos et ducere litem,  
 Si quae deterior modo contestata fuisset,  
 Quo possis pacto meliorem reddere caussam.  
 Hinc spes et scelerata reis audacia crescit!  
 Hinc animos sumunt et ferrea, Jupiter, ora  
 Appellatorum nullos metuentia casus!

Talia Romanis nostris in legibus esse  
 Monstra nego; commenta fori sunt ista parandis  
 140 Augendisque opibus! Leges aliena cavere  
 Furta, cavere aliis potius quam fallere monstrant,  
 Dissidia et lites placida componere pace  
 Et castas servare manus et parcere sumptu,  
 Nullam ex dissidiis alienis cogere praedam,  
 Commissos curare greges et commoda plebis.

Quae lites minuunt, concordia saepius auget!

